


1
6
516










IDEA
CAPITIS HVMANI;
ORATIO
HABITA IN ARCHI-LYCEO PATAVINO,

DIE V. NOVEMBRIS, M. DC. LXXXVI.

A' CAROLO PATINO,

EQUITE D. MARCI, DOCT. MEDICO PARIS.

PRIMARIO PRACTICÆ EXTR. PROFESSORE.



PATAVII, M. DC. LXXXVI.

Ex Typographia Seminarii.

SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO D.

D. IOANNI IVSTINIANO,

EQVITI, SENATORI AMPLISSIMO,

CAROLVS PATINVS.



T in humani corporis fabrica, nihil mirabilius est capite, sive ipsa spectemus organa, sive stupendas organorum functiones, ita nihil reperiemus quod à Medicis diligentiùs exactiuſ-ve investigari debeat; Nisi enim probè perspecta sit affectæ partis natura, frustra certè morbis ejus mederi, vel sonticas eorum causas detegere conabimur. Gravissimas itaque ac penè innumeras capitis ægritudines, earumque remedia justo opere explicaturus, præmittendam existimavi prolusoriam hanc capitis IDEAM, brevem quidem, at intellectu facilem, adeoque φιλιάτροις ut opinor, haud ingratam futuram. Hæc autem in lucem prodire gestit sub tanti nominis tui auspiciis, cujus splendor dignitasque postulat, ut tuum patrocinium exoptare debuerim. Quis sub cælo Veneto id non ambiret? cùm per tot quos sanctissimè sustinuisti magistratus, cunctis omnibus ac singulis benefacere non destitisti: Cùm Ducalis coronæ pondus, Serenissimi Fratris Optimi Principis capiti impositum, tanta cum dignitate sublevas. Tua te virtus, tua te merita conspicuum faciunt in ea civitate, quæ sicut res magnas semper molitur, ita nonnisi magnos Viros & virtutes verè heroicas suspicit ac miratur. In ea, inquam, civitate, quæ bello & pace, armis & litteris, amicorum hostiumque stupore, gloriam sibi parat immortalem, ac perpetuò triumphare videtur: Cujus felicitati congratulari debent omnes Christiani, nos autem quàm maximè: Utinam publicæ lætitiæ privatum gaudium adjungere liceret: Nota satis sunt vota mea, quorum compos fierem, si pristinum decus meum asserere possem, & eandem quàm Parisiis habebam exedram, Veneti Proceres conciliarent. Vale, Illustrissime & Excellentissime Domine, & quòd animi sensa liberè deprompserim, æqui bonique consule.

Patavii, Id. Novembr. M.DC.LXXXVI.

Illuſtriſſime & Generoſiſſime Pro-ſcindice, Patres Sapientiſſimi, Auditores bene-voli.



Uemquam-ne eorum quos, ſeu ſua, ſeu Poetarum virtus incolumes Orco reduxit, adeo horroris unicè amantem imaginemur, quin beatas Eliſii amœnitates imprimis adire amaverit, quibus infeliciorum locorum terrores, ac tædia arcere, aut certè diluere daretur? Et nobis quoque tentanda mortis ſedes: Subbeunda nimirum hoc anno humani capitis obſcura clauſtra, illincque eruenda tot immania morborum monſtra, quibus partem hanc infeſtari convellique Fata tulerunt. Triſtiora ſanè ſpectacula, quàm quæ ſubitò vobis, Auditores ornatiſſimi, primoque theatro objicere voluerim.

Quapropter in citeriori hodie ſiſtemus ripa; Verbo proludemus quàm poterimus minimè tetricè; Obeundo quæ Caput habet beatiora, quæ dictu audituque amœniora. Conſilio ab inſtituto Medici, hoc ipſo non alieno, quòd curandæ partis conditio nuſquam non ſit perpendenda quo quiſque vel in integræ tutelam vel in afflictæ medelam rite & pro dignitate incumbat. Neque ita vos exiſtimare velim tanquam juſtam hujus panegyrim ſuperfluo labore ſuſcepiſſem: Poſſem namque fortaſſis eodem peti, ſeu ludibrio, ſeu joco, quo intempeſtivus ille hac immodicus olim. Herculis laudator, cui ſalsè reſponſum, Quis illum vituperat? Ἀλλά τις Ἡρακλῆα ἐπιτιμᾷ? At quemadmodum & Herculis egregia enarrare, facta non dedecet, quidni & capitis bona perſtringere in limine liceat præſertim illius mox mala latè explicaturo?

Sunt autem amœniora malis bona: In hodierno itaque diſcurſu agendum eſt de capitis bonis quæ deſumuntur ex opinione hominum de Capite, ex iis quæ illi externè inſident, ac demum iis opibus quas intimè recondit.

Quæ ſit hominum de Capite opinio, vel ex ipſa benè perpenſa voce eruere eſt obvium: Quis enim neſcit ut Sapientum eſt rebus imponere nomen, ita quoque rerum conſtitui apellationes, ut & noſtrum de illis conceptum, & rem ipſam quàm fieri poteſt optimè exprimant.

Invalidum porrò argumentum eorum videtur eſſe Anatomicorum, qui ita appellatum voluere Caput, quòd inde capiant nervi originem; alioqui quidni venarum & arteriarum ſcaturigo pari jure Capitis apellatione efferretur?

Nec videtur veroſimilior ſententia eorum qui Caput ita dictum autumant, quia capit cerebrum: Neque enim cranium & meninges quæ partes duntaxat ſunt continentes, ſed hæ ſimul cum contentis Capitis nomine ſignificantur.

Dic age, unde ergo deſumptum id nominis? aut quæ illius derivatio

13

genuinam de Capite ideam , ſimul & rem ipſam manifeſtabit ? Non alia profectò , me judice , quàm à captu , quo caput circulari ſua capacitate figuras omnes ἰσοπεριμέτρως ſuperante , non modò partium humani corporis, ſed & rerum omnium longè maximum eſſe conſtat. Caput itaque , quòd mentem capit humanam , hujuſque interventu cœtera omnia quæ vaſto univerſi ambitu continentur, immenſam terræ molem , lucidos Cœlorum orbes ac motus, varias aſtrorum periodos, res ſingulas, ſeu noſtra contingentes opera, ſeu ſua ſponte neceſſarias , nullaque mutabiles lege : Horum rurſus cauſas , naturam , principia ; ipſum denique naturæ mundique autorem & moderatorem ; & quæcunque ſenſuum miniſterio percipi , aut intellectus acie cogitari poſſunt. Hinc Palladem è Jovis capite prognatam ſolertiſſimi Scriptores prodidere : Palladis enim & Minervæ nominibus, ſive Philoſophiam ipſam , rerum ſcilicet divinarum & humanarum cognitionem , ſive numen ſapientiæ , conſilio rebuſque cùm cognoſcendis tum gerendis præſidens intellexerimus, nihil moror. Hinc quoque factum eſt ut quicunque privatis & politicis virtutibus publiciſque commodis procurandis aut adminiſtrandis , eximii præ cœteris civibus ubivis claruerint πολλὰ χρήσιμοι τῇ πόλει, ἐπιφανέστατοι ἄνδρες, ii civitatis Capita κατ' ἐξοχὴν audirent; cujuſmodi cùm in majoribus hominum conventibus plures invenirentur , nec eodem prorſus omnes honoris faſtigio habendi, adhibita tandem Principis (nempe primi Capitis, neque aliud ſonat) appellatio, quà ſuprema in civitate dignitas deſignaretur. Quamobrem uſus obtinuit ut Caput pro Principis ſymbolo & hieroglyphico ubique haberetur , quod cùm aliis ex locis tum ex muta illa Tarquinii Superbi ad Sexti filii nuncium oratione liquidò patet .

Poſteaquam Sextus Tarquinius rebus omnibus ad imponendum Gabinis quos circumvenire volebat , rite compoſitis, eò devenerat ut unus omnia Gabiis poſſet , miſit ſciſcitatum ad patrem quid ab ipſo in hoſtili civitate fieri vellet : Haud ſatis confiſus nuncii fidei pater , nihil voce retulit , ſed eminentium papaverum capita meditabundus baculo decuſſit . Quod ipſum cùm filio renunciaſſet nuncius, intellexit illico tollenda è medio eſſe civitatis capita , & Principes viros qui uſu & peritia rerum, qui genere , autoritate vel opibus , præ cæteris plurimùm pollerent : Quo facto ex patris ſententia, inquit Livius noſter Patavinus, orba conſilio res Gabina, Regi Romano ſine dimicatione in manum tradita eſt .

Sed neque ad viros tantùm maximos , ſed ad civitates etiam dignitatis cauſa & tanquam ſupremi imperii titulus, Capitis appellatio tranſlata eſt . Huc pertinet illa Romuli cœlo elapſi ad Proculum Julium prædictio: *Abi*, inquit, *nuncia Romanis*, *Cœleſtes ita velle*, *ut mea Roma orbis terrarum Caput ſit*; *proinde rem militarem colant*, *ſciantque*, *&c.* Unde patet non Poetarum tantùm hanc eſſe metaphoram , ubi eſt apud Lucanum ,

Ipſa Caput mundi , bellorum maxima merces
Roma.

Et apud Ovidium .

Roma triumphati dum Caput orbis erit .

Sed

Sed Cœlestium hanc esse appellationem, nec minus præclarè illos de Capite quàm nos sentire. Quò spectant missa divinitus prodigia, obscurus Cœlitum cum mortalibus sermo, cujus sunt interpretes, Vates.

Hujusmodi est memoratum apud Justinum, *lib.* 18. & Virgilium, de origine Carthaginis inventum *l.* 1. *Æneid.*

> *Caput acris equi, sic nam fore bello*
> *Egregiam & facilem victu per sæcula gentem.*

Sed propiùs ad rem nostram spectat illud Romanorum & Etruscorum fatidicorum sub Urbis primordiis editum vaticinium. *Secutum est*, inquit historiæ Romanæ scriptor, *magnitudinem imperii portendens prodigium. Caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi quod Capitolium inde nuncupatum, dicitur apparuisse. Quæ visa species haud per ambages, arcem Imperii, Caputque rerum fore portendebat*. Cresceret in immensum Oratio, si quæ hujusmodi sunt omnia sigillatim referrem.

Accedamus modo ad ea quæ ex communi omnium gentium instituto in quotidiano sunt usu. Omitto salutationes, obsequia, oscula, quæ uni Capiti videntur persolvi, & ad faciendam fidem juratum ab Antiquis per Caput, ac si pro numine haberetur. Id verò minimè prætereundum, quòd omne consummatæ virtutis præmium, cuncta & quæcunque sunt supremæ dignitatis & potentiæ insignia, ex gentium juxta ac temporum consensu præcipuè in Caput collata fuisse. Hinc triumphantium Ducum & Imperatorum Coronæ laureæ, benè meritorum civium civicæ, doctarum frontium hæderæ, Regum diademata, Pontificum thiaræ, purpuratorum & Antistitum sacrorum mitræ, Sacerdotum Coronæ & tonsuræ, aliaque id genus. Inspiciamus celeberrima antiquitatis monumenta ad æternitatem proximè spectantia. Erudita, inquam, signa de quibus fas sit vaticinari quod de suis versibus cecinit Horatius,

> *Quod nec imber edax, nec aquilo impotens*
> *Possit diruere, aut innumerabilis*
> *Annorum series & fuga temporum.*

Ecquam in numismatibus aliam Heroum partem præter Caput expressum plerumque videmus? Ac si omnis retro memoria cæteras etiam Divorum partes gloriosis quidem sed tandem perituris signis, picturis, ac statuis dignas, unum Caput communi sententia pronunciat immortalitate donandum: Æquissimo sanè jùdicio, cùm illæ ad obsequium natæ sint, hoc verò ad imperium Natura produxerit.

Longiùs fortassis prosecutus sum opinionem hominum de partis hujus conditione; nunc ad rem ipsam ut Caput humanum suis stipatum ornamentis trunco tanquam aræ impositum cominus circumspiciamus. Hac in contemplatione fixos, interpello vos omnes, Auditores ornatissimi, num

non

14

non vobis ipsis videre videmini, omnigenos amantium populos catervatim ad hanc aram circumfluere, tantæque formæ sinceriùs quàm Numini litare? Ipse certè audio variè pro singulorum sorte & ingemiscentes quosdam & attonitos, *ut vidi ut perii*! & exultantes alios, cunctaque Fortunæ bona præ uno amati capitis crine parvi pendentes.

An tu, quæ tenuit dives Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes,
Permutare velis crine Licinniæ,
Plenas aut Arabum domos.

Nec desunt qui illa in contemplatione imperviam, ac incorruptam malis humanis felicitatem reponant.

Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor æstiva recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ malusque
Jupiter urget.
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata;
Dulce ridentem Lallagen amabo,
Dulce loquentem.

Et verò, an aliunde existimamus Veneri immortalitatem & dignitatem numinis, cultumque ab hominibus nulli Deorum non invidendum? An aliunde famosum illud judicium Paridis, & de Pallade ac Junone relatam victoriam, quàm ab oris præstantia, & venustate contigisse? Quod ab amatorum ardoribus & Poetarum commentis non ideo mutuatus sum, quia ipsa Natura copiosa non suppeditet.

Et ut paucis absolvam, quidquid est aut in Naturæ bonis aut in ipsis virtutibus maximè conspicuum, id omne in ore, vultu, & Capite potissimum emicat ac sese explicat. Illic tanquam in theatro exponuntur ordinum & ætatum dotes universæ: Juventæ flos & decor, constantis ætatis matura gravitas, senectutis reverentia venerabilis: Illic tenvioris sexus nitor, illic vigor firmioris: Illic virginum verecundia, matronarum castitas, Vestalium modestia: Illic Sacerdotum continentia, Judicum integritas, & æquanimitas Philosophorum. Illic, inquam, fiducia & fortitudo pugilum, Imperatorum compositus ad imperium nutus: Illic amicorum benevolentia & alacritas, aulicorum comitas, Principum denique magnanimitas, clementia, beneficentia.

Nonne facies, πρόσωπον, homini tantùm data est ut imago animi, in qua sensuum omnium organa, oculi, aures, nares, & lingua locarentur, atque *salutis vel mortis manifesta indicia lucerent*, inquit Hippocrates *in progn.* Cæteris animalibus os aut rostra. Frons ut aliis, sed homini tan-

tùm

tùm triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis index. Hic ſedem habent audacia, pudor, majeſtas, ideo ſolus homo verecundatur.

Subjacent oculi, exploratores utiliſſimi, *παντὸς τȣ̃ σώματος φύλακες*, venuſtæ & nitidæ arcis feneſtræ, pars corporis precioſiſſima, inquit Plinius, *L. XI. C.* 37. & qui lucis uſu vitam diſtingunt à morte. Neque ulla ex parte majora acrioraque animi indicia cunctis animalibus, ſed homini maximè, moderationis, miſericordiæ, odii, amoris, lætitiæ, cupiditatis. Profectò in oculis animus inhabitat: Ardent, intenduntur, humectant, connivent. Hos cùm oſculamur, animum ipſum videmur attingere; animo enim videmus, animo audimus: Nȣ̃ς ὁρᾷ καὶ νȣ̃ς ἀκȣ́ει. Oculi, ſeu vaſa quædam, viſibilem ejus partem accipiunt atque tranſmittunt, quò fit ut magna cogitatio obcæcet, abſtructo intus viſu. Adeoque iis abſoluta vis ſpeculi, ut tam parva eorum pupilla totam imaginem hominis reddat. Optimè itaque Alex. Aphrodiſæus oculos nuncupavit *animæ ſpeculum*: Ὀφθαλμὸς τῆς ψυχῆς κάτοπτρον εἶναι. Aliis majus quid exiſtimantibus, hos ſcilicet animæ ipſius ſedem eſſe: ductis fortè divini Senis noſtri oraculo l. 6. ἐπιδ. Sect. 4. ut valent oculi, ita & totum corpus. Ὀφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, ȣ̃τω καὶ γυῖον.

Soli homini nares eminent, vultus integritatem abſolventes: Mentum nulli animali præter hominem, nec malæ, altera pudoris ſedes. Omnia ad venuſtatem compoſita, ne quid ſimilitudinem opificis Dei dedecoraret.

Hactenus aut in luſtrandis regni quà vicinos reſpicit finibus, aut ambiendo urbis pomtrio hæſimus; nunc demum in regni ſedem, in ipſam ſacram Palladis arcem penetremus, & divinas cumulatim illic congeſtas opes ſummatim contemplemur.

Annulum illum Auguſti Cæſaris in cujus tuberculo concitam remis expanſiſq; velis, navem ampliſſimo belli apparatu inſtructam, magna artis admiratione cernere erat, omnis fortaſſis meminerit poſteritas. Quanto magis ad miraculum facit interioris Capitis humani conſpectus, τῆς τȣ̃ ἀνθρώπȣ κεφαλῆς καὶ τῶν αἰσθητηρίων. Illic non navem unam, ſed univerſam Xerxis claſſem illam quam vix totum æquor capiebat, omnemque ex adverſo Athenienſium ac reliquæ ferè Græciæ populum, ligneis ſeſe defendentem muris, in Salaminii freti anguſtiis videmus. Illic terreſtrem ejuſdem Xerxis decies centenorum millium exercitum, terræ ipſi ob multitudinem gravem, & quo flumina ſiccabantur explicatum, pugnantem, fugientem perſpicimus. Illic Alexandrum, ad Granicum, ad Arbellas, ad Indum, ad Babylonem: Illic Romam, Carthaginem, Numantiam, Cannas, Pharſalicos Philippicoſque campos, Actium, Memphim, Hieroſolymam, Pariſios, Venetias, Viennam, Budam, Peloponeſum, Conſtantinopolim, belli & pacis diſtincta monumenta.

Virtutem oculis conſpicere ſi daretur, inquit Cicero, *miros ſui amores concitaret*. Oh; ſi quæ humano Capite continentur, oculis ſubjicerentur, quos amores, quantam admirationem, ac extaſim concitarent! Sedet illic tanquam in ſolio ſuprema rerum arbitra Mens, ampliſſimo facultatum

&

15

& sensuum comitatu stipata: domesticis fruitur bonis, aliena & externa accersit, longinqua attingit, intaminata & intacta ipsa omnia subit & tractat. Numinis ad instar decoratur amplissimo Virtutum omnis generis cœtu: Astant proximè matronarum ritu, Justitia, Prudentia Fortitudo, Temperantia: Tum Nympharum more, Fides, Modestia, Amicitia, Magnificentia, Clementia, aliaque ejusmodi innumeræ. Subministrat ex proprio horreo, ac promptuario locupletissima memoria omnem rerum copiam, quidquid viderunt exacta sæcula, quæcunque obtinet præsens ætas, imò ex futuris multa anticipat. Ornat honestatque sagax imaginatio non emortuis artium monumentis, sed artibus ipsis. Commovet illic animum Eloquentia, concitat Poesis, demulcet Musica, constituit ædes Architectura, pascit oculos Pictura perspectiva, alia id genus viva mentis supellex. Felix sua si bona norit agricola: Felices nos si insita bona noverimus.

Ita cùm tanta sint Capitis bona in opinione hominum, cum tot extimè præseferat decora, & tam immensas intus recondat opes, vindicet quisque suum ab jis calamitatibus quibus obnoxium est; aut potius, cùm vos omnes sano sitis Capite, cavete ab jis malis de quibus in posterum, ex jussu Serenissimæ Reipublicæ, mihi agendum est.

D I X I.

